



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata Heinrychi Bullingeri lib. IIII

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Arrogantia est si quis se gloriatur abq[ue] peccato esse

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

cognouimus & credimus quod tu es filius dei. Quod si quis plane excidit à fide, is iam testimoniū certum de se præbet, se fidem ueram nunquam habuisse.

Exierunt inquit Ioannes ex nobis, sed non fuerunt 1. Ioan. 2. ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum. Qui ergo à cognita ueritate deficit, hic salutem nullam habet. Sed quare? quod unica duntaxat salus est nempe Christus, à quo ipse per fide descendit, & aliam salutem inuenire nunquam potest. Intelli- Hebr. 10. gis (ut opinor) casum (de quo Paulus dicit) non esse lapsum qui quotidie fit in pijs ex carnis imbecillitate, sed desperationem extremam et perfidiam per quam homo à deo deficit. Lege cap. 7. & 8. ad Hebræos, et uidebis lapsis quotidianam remissionem non negari. Nam sic loquitur etiam in 5. capite Christum pontificem esse qui possit nostris infirmitatibus compati, qui nobis ad eū sit, facta nobis ad id libertate, Hebr. 10.

SIMON. In 12. capite Paulus docet Esau non reperisse locum poenitentiae, quum hanc lachrymis postulasset. IOIADA. Apostolus hoc in loco non de poenitentia aut remissione peccatorum loquitur, sed de electione, & reparatione primogeniturae, quam quum per gulam et intemperantiā amisisset semel, impetrare postea non potuit, utcumq; clamore et lachrymis id tentaret. Nam Iacobius primogenitorum emerat & præriperat, Nihil ergo hic de intera

na peccatorum remissione. Et saepe in aliam significationem trahitur hæc dictio, pœnitentia. Sed his telis usi sunt & Cathari, idq; adeo ut ex pijs quidam infirmiores epistolam ad Hebræos suspectam horrerent, quemadmodum & nostra ætate quidam Iacobi epistolam. Sed uenio iam ad Petri authoritatē qui sic dicit: Melius fuisset illis, non cognouisse uiam iustitiæ, quam ubi cognouerunt conuerti ab eo quod illis traditum fuit sancto præcepto. Verum accidit illis id, quod uero prouerbio dici solet: Canis reuersus ad uomitum, & sus lota reuersa ad uolutabrum cœni. Si hæc uerba recte expendis inuenies hic dici de perfidia & infidelitate, à qua dum semel per fidem uocati erāt, rursus à deo defecerunt ad priorem infidelitatem. Videmus ergo perfidiā esse quæ ubiq; damnatur. SIMON.

Sed quid de isto dicis, quod illi asserunt nos non uere in carne? IOIADA. Caro nobis in sepulchrum usq; adheret. Nam caro spiritui aduersatur, et rursus spiritus carni repugnat, ut faciamus quæ non uolumus, Rom. 7. Audacia ergo est summa sibi arrogare & de ijs gloriari quæ apostoli sibi nunquam arrogarunt, et de quibus nunquam sunt gloriati. Nam Paulus queritur de carne sua, qui plus spiritus habuit, plus carnē domare satagit, q̄ catabaptistæ omnes. Ad huc audent dicere se non esse in carne, fortasse ob id quod nihil sunt quàm caro, hoc est, toti carnei, affectibus

In carne sūt
fideles, sed
non uiuunt
secundum
carnem.

bus omnibus immerſi, quod ex eorum uita palam fit. Sed rectius & ſanctius breui ſumma Paulus totum hoc negotium colligit: Itaq; idem ego mente quidem ſeruo legi dei, carne uero legi peccati. Latius hæc & clarius perſequitur in octauo cap. Roma. & Gal. 5.

Oſtendit autem breuiſſimis uerbis eos in carne uiuere, qui deum non metunt, cœleſtia non curant, ſed terreni ſunt toti. Hic uero in ſpiritu uel ſecundum ſpiritum ambulat, qui tametſi carnalis eſt, hoc eſt, morbum & infirmitatem habet & ſentit, ad ſectibus titillatur, tamen carni & peccato habenas non laxat, ſed continue repugnat, et cauet ne unquam cadat. Quod ſi contingit cadere, mox pedem retrahit et reſipiſcentiam meditat. SIMON. Illi uero perhibent hominem poſſe ſine peccato eſſe. IOIADA.

Sumus abſq; peccato, quemadmodum canes ſine pulicibus in menſe Auguſto. Proh pudor quod hæc cogitant, aut quod ſibi hoc arrogant, taceo quod euangelij ueritatem hæc aſſertione infamant, imò gratiam et miſericordiam dei omnino tollunt. Nam ubi non eſt peccatum, ibi non eſt gratia: ubi non eſt præuaricatio & tranſgreſſio, ibi non eſt remiſſio. Apud illos non eſt tranſgreſſio, ergo gratia dei non eſt apud illos. An hoc non eſt gratiam dei euacuare? Quid dicam, quod in nouam heresiſm inſani homines cadūt? Pelagij nempe blaſphemii hominis, qui gratiam dei negabat, ho-

Quid ſit ſecundum carnem uiuere.

ſ. nec
quod
hæc
m
m

ſ. nec
quod
hæc
m
m